



Cant. Magní-ficat. e u ó u a e.

Oratio.

**D**EUS, qui hodiérna die per Unigénitum tuum æternitátis nobis áditum, devícta morte, reserásti : vota nostra, quæ præveniéndò aspiras ⁊ étiam adjuvándò proséquere : Per eúmdem Dóminum nostrum.

✠ Hac die et duobus sequentibus, dum Oratio dicitur, Thuriferarius in Sacristiam vadens, deposito thuribulo. Crucem a Sacrista præparatam accipiat, et in Chorum ante gradus Presbyterii veniat. Dícta Oratione et responso Amen., Cantores immediate incipiant Antiphonam Christus resúrgens., et Conventu eam prosequente, egrediatur Processio de Choro in Ecclesiam laicorum hoc ordine : Primo procedant Ceroferarii, et in medio eorum Cruciferarius, qui omnes sint in albis; postea Conventus, junioribus præcedentibus; ultimo Prior cum Libello Processionali.

Cum autem Ministri prædicti exierint, Cruciferarius collocet se inter utrumque Chorum in medio a parte inferiorum, et juxta eum Ceroferarii hinc et inde, stantes versis vultibus ad Altare, et vultu Crucifixi ad Conventum. Ceteri vero Fratres ordinent se sicut in Choro. Ultimo stet Prior inter utrumque Chorum.

